

ens id fieri poterit, Quodq; de hac secunda trepidatione hoc pacto fuerit compositum auferatur ex uicina radice si tempus ei dato tempore posterius est, aut addatur radici si ipsius tempus dato tempore prius extiterit, & emerget pro dato tempore secunda trepidatio. Longe deniq; facilius ex secundo canone precedentis propositionis secunda hac trepidatio calculabitur. Nam pro eius ingressu differentiam dictam temporis radice atq; dati temporis mutare necesse non est, sed cum annis completis primum fit introitus, deinde cum mensibus & diebus atq; cum horis & minutis horarum statimq; elicitor quaesita trepidationis motus, qui velut antea traditum fuit additur radici vicine, vel demitur, quodq; sic addendo vel demendo proueniet, pro dato tempore secunda erit trepidatio. Velut si propositum fuerit pro annis a dominica natiuitate 1322, & mensibus v, completis secundam calculare trepidationem. Datum itaq; hoc annorum tempus quia proxime sequitur Alfonsi aeram idest annos domini 1251 & menses quinque, his igitur annis 1251, & mensibus v, demptis ex dato annorum 1322, & mensium quinque numero remanent anni bisextiles lxxi. Praescribo itaq; in aliqua scheda Alfonsi radicem idest signa communia iiii, gra. xxiiii, mi, prima xxix, secunda liiii, Deinde trepidationis huius secundae alterum canonem cum annis lx, ingressus excipio gradus vi, mi, prima, xlvi, secunda xlvii, tertia xxiiii, Rursus eundem accedens canonem cum annis xi, completis e regione ipsorum colligo gradum i, minuta prima xiiii, s, xxxiiii, tertia li. his omnibus additis ad praescriptam Alfonsi radicem quodlibet scilicet trepidationis huius secundae genus aggregando generi suo fiunt signa v, gradus ii, minuta prima xxxi, secunda xv, quaesita videlicet secunda trepidatio. Dato igitur tempore secunda trepidatio numerata est, quod oportebat efficere.

PROPOSITIO XXVII.

Pro data trepidatione tam prima quam secunda variationem maximae declinationis solis calculare. Cum data itaq; trepidatione ingrediendus propositionis xix, canon primus qui tabula variationis maximae declinationis solis inscribitur sumendo